



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Observationes Generales in Cap. VIII. & IX. quæ agunt de Censuris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

etiam in Hispaniâ ac Lusitaniâ, ubi sola depositio sufficit. GONZALES in Cap. 10. de *Judiciis* n. 14. usque ad finem.

Loquendo de circumstantiis Delictorum, observat contrarietatem inter Jus Civile & Jus Canonicum, in eo, quod illud jubeat augeri pœnam, ubi delictum frequens est; hoc verò crimen impunitum tolerare, ubi Sontium numerus magnus est: laudatque Legem 16. §. *Fin. de penis*, & *Can. 31. & 32. CAUS. XXIII. QUÆST. IV.* non tamen eos conciliat, quod fieri potest, dicendo, Legem loqui de casu, quo severitas ad restaurandam tranquillitatem necessaria est; Canones verò loqui de casu, quo severitas effectum contrarium pareret. Infrâ in loco, ubi Autor dicit, Judicem Ecclesiasticum pœnam singularem ferre non debere, legi debuit *Sanguinis*, pro *Singularis*, sic postulat Textus ab eo relatus *Cap. 4. de Rapt.* legi.

OBSERVATIONES *Generales* in CAP. VIII. & IX.
qua agunt de Censuris.

Cùm plura sint genera CENSURARUM crebrò in Corpore Juris commemoratarum, quæ multas qualitates communes habent, Regulas proponere Autor debuisset circa Censuras generatim consideratas; Consilium ejus id postulabat, quippè quod sit tradere notitiam rerum per eorum genera, species, causas, effectus & proprietates. Omnino autem negligit hæc generalia Capita,

Alius finis Operis, quo facilius forè promittitur studium Juris, aperiendæque esse vias breves, perspicuas, ac certas, quibus perveniatur ad ea, quæ scitu digna sunt, postulabat ut *Regulis* daretur tanta extensio, quantam pati possunt: pleræque autem Regularum ejus restringuntur ad Casus speciales v. gr. à Censurarum natura exordiri debuisset, observare ea, quæ in illis singularia sunt, aut communia cum cæteris penis; dare Regulam circa varias Censurarum species, singulas complectentem; similem facere de omnibus causis communibus variis Censurarum speciebus, quas serie continuâ exposuisset, idem perficere circa effectus communes, & proprietates pariter communes; conficienda præterea erat Regula generalis de viis, quibus variæ Censurarum species extinguuntur; tum singula speciatim erant enucleandæ per Regulas complectentes ea omnia, quæ ad unamquamque propriè pertinent, maximè ad Absolutionem, quæ determinata est. Discutienda erat unaquæque Censura præcipua juxta eandem methodum, & nedùm plerique casus particulares colligerentur, sive ii, qui sub Regula continentur, sive qui ab eâ excepti sunt, incumbendum erat Regulis generalibus præfatis, indicando duntaxat præcipuos casus singulares, ne nimium extenderetur delineatio Operis; sic enim nuncupari debet potius quàm Opus, methodus propofita.

OBSERVATIONES *Speciales* in CAP. VIII. de
EXCOMMUNICATIONE.

Autor proponit dubium in REGULA III. QUÆST. II. Scilicet, *an pena sit licita?* Cujus rationem affert, quòd tolerandi sint Mali, juxta priores Textus *Caus. XXIII. QUÆST. IV.* inter quos verba *Gratiani* ponit. Triplicem Responsonem subjicit, cujus duo priora membra congrua non sunt; nempe ait, id habere locum 1. cum Mali Jurisdictioni Prælati non sunt obnoxii 2. Cùm occulta sunt crimina, tunc enim Prælati ea impunita relinquere cogitur, deficientibus Probationibus aut Jurisdictione. Textus autem allegati loquuntur de casibus, in quibus puniri possent, sed in quibus usus illius potestatis non expedit; quia coercitio pacem Ecclesiasticam turbaret. Id patet ex

Textibus, quos ad probandam responsonem tertiam subnectit, sumptam ex metu inducendarum turbarum, & divisionis ad schisma properantis.

Aliam dubitandi rationem affert, ex eo, quòd pœnæ inutiles; cui patrociniatur. *Can. 19. CAUS. XXIII. QUÆST. IV.* junctis verbis *GRATIANI*, est & alia, ubi dicit correptionem esse inutilem, sive quia Prædestinati convertuntur absque correptione, ut cernitur in exemplo S. PETRI, qui delictum luxit à nemine reprehensus; sive quia pœnæ Reprobato indurant, ut patet in exemplo PHARAONIS. Huic rationi dubitandi Autor respondet per *Can. 20. 21. 22. & 23.* & sequentem *Gratiani* sermonem, qui docent, correptionem & flagella, licet aliquando sine ipsis Deus peccatorem convertat, vulgò necessaria esse, tam Prædestinatis, quàm Reprobatis; quia illos ad penitendum inducunt, eorumque respectu sunt viæ ipsis ad perveniendum in Cælum præparatæ, merente conversionem eorum penitentia: Reprobato autem ex eis non proficere, quia contemnunt remedia sibi ad sanationem oblata.

Divisio Excommunicationis, quam deinde Autor proponit, valde imperfecta est. Id probari potest per Collationem Tractatus nostri de *Excommunicatione*, ubi plures alias retuli Divisiones, quin imò autem omittit Excommunicationem *Minorem*, quæ à receptione Sacramentorum excludit, & vulgò incurritur communicatione cum excommunicatis *Excommunicatione Majori*. Indè, transiens ad causas Excommunicationis, quam *Regula* dicit ferri non debere, nisi ob causam manifestam, XXXV. enumerat cum earum Exceptionibus. Illæ causæ sunt peccata, quorum alia Excommunicatione Majori coe-centur, alia aliis Excommunicationibus. Utraque confundit, permiscendo casus 2. speciei cum casibus 1. v. gr. plerique casus Excommunicationis, de quibus loquuntur Canones Apostolorum, quos laudat; sunt Excommunicationis *Minoris*, Canones, quoque quos allegat ex *Causâ XII.* circa Excommunicationem, quæ incurritur communicando cum Excommunicatis, vulgò de *Minori* tantum Excommunicatione loquuntur.

Monere debuisset, Excommunicationem *Majorem* causas multò graviore requirere; nempe peccata gravia: peccata autem minora *Minori* Excommunicationi esse obnoxia. Vicia hætenus observata *hoc in Cap.* indicant, Autorem argumenti sui notitiam accuratam non habuisse. Id planè demonstrabunt vitia mox subjicienda, ex quibus præterea apparebit, Regulas ex Canonibus absque expositione desumptas, esse perniciosas.

Primam Causam Excommunicationis esse dicit inobedientiam adversus Decretum, aut jussionem Prælati, nec adjicit *justum*. Duos casus exceptit; unum appellationis, alterum itineris Romam, perinde ac si hic non esset casus appellationis, quamvis nihil aliud sit, quàm appellatio tacita.

Secunda est contumacia post Monitionem, veluti si non sufficeret Monitionem neglexisse in re gravi: scribendum erat, *Si monitus non corrigatur.*

Tertia est vis Prælati facta; nec distinguit eam, quæ justa est, ab ea, quæ injusta est, nec casum, quo aliter quàm Excommunicatione repelli potest, ab illo, quo non aliàs repelli potest.

Quarta est querela contra Episcopum aut Ecclesiam, sine præcedenti Monitione intentata; quasi omisso rei non necessarie, sed tantum decentis, mereri posset Excommunicationem.

Quinta est violatio Immunitatis & Libertatis Ecclesiasticæ; quod restringendum est ad eam, quæ certa est; cum probabile non sit Ecclesiam, optimam Matrem, suos Filios excommunicare velle, ob prætenfa delicta: & quidem suprâ dictum est, certam debere esse causam, perinde ac manifestam.

Sexta